

Zeitschrift für Malakozoologie.

Herausgegeben

von

Karl Theodor Menke, M. D.

1844. (Es erscheint monatlich ein Bogen.) **November.**

Descriptiones testaceorum quorundam novorum, maxime chinensium, auctore R. A. Philippi.

1. *Anatina elegans*, Ph.

A. testa oblonga, aequalatera, tenui, alba, transversim striata, punctis prominulis extus asperata, antice truncata; marginibus ventrali et dorsali fere parallelis et rectilineis. Long. 32 lin.; alt. 16 lin.; crass. 11 lin.

Patria: China; communicavit amicissimus Largilliert, rotomagensis.

*Ab A. truncata, Lamk. nr. 2, Delessert Recueil t. 3. f. 2, quae in mari gallico ad Vannes vivere dicitur, nostra species differt his notis: magnitudine maiore; margine ventrali rectilineo, longe minus arcuato; extremitate postica non subtruncata, sed perpendiculariter et linea recta truncata, angulis fere rectis utrinque. Cardo exacte medianus. — Specimen aliud, quod cl. Jonas debeo, et cuius patria Africa occidentalis dicitur, angustius est, nempe 24 lin. longum, 11 lin. altum, 8 lin. crassum, et cardo paullo pone medium situs. *A. truncata* in fig. Delesserti 22,5 lin. longa, 12 lin. alta, . . . crassa est. — An species nostra satis diversa? an eadem species ad litus Galliae, Africae, Chinae, Novae Hollandiae habitat?*

2. *Mactra cygnea*, Ph.

M. testa trigona, postice magis producta, subrostrata, alba, postice radiis lutescentibus obsoletis, nitida; lunula

plana, area, et parte antica testae eleganter sulcatis; regione marginis cardinalis livida. Long. 34; alt. 23,5; crass. 16 lin.

Patria. Mare rubrum, ex auctoritate mercatoris rerum naturalium parisiensis.

Forma sua species nostra convenit cum M. grandi, Lamarck Enc. t. 253. f. 1. (quae a M. grandi Chemn. 6, f. 228 valde diversa), sed paullo magis inaequilatera est, et extremitas antica magis rotundata; margo ventralis enim aequaliter convexus est. Lunula plana, magna, haud circumscripta, attamen distincta, eleganter sulcata; area lunulae subaequalis, pone ligamentum externum paullo tumida, pariter sulcata, etiam pars antica testae (fere $\frac{1}{3}$) eleganter striato-sulcata. Color lacteus, radii pallide lutescentes, aegre distinguendi in parte postica; regio ligamenti, radius ab apice ad mediam aream diductus, et pars postica lunulae violaceo-lividae. Cardo et impressiones musculares omnino ut in M grandi Lam.; ligamentum externum, ut in illa, ab interno discretum, sulco ab apice proficiscenti insertum.

3. Tellina carnea, Ph.

T. testa tenui, ovato-oblonga, subaequilatera, nitida, pallide carnea, tenuissime striata; extremitate postica rostrata, dentibus cardin. in valva sinistra duobus, in dextra tribus, antico lamellari; lateralibus nullis; sinu palliari maximo, impressionem muscularem posticam tangente. Long. 10,5; alt. 6,25; crass. 3,25 lin.

Patria: China, ad insulam Tschu-san; communicavit cl. Largilliert.

Magnitudine et forma satis bene congruit cum T. fabula maris germanici, sed magis aequilatera, paullo tumidior et antice angustior est, ut sculpturam et colorem taceam. Cardo idem, praeter dentem anticum valvulae dextrae in T. carnea multo minorem. Sinus palliari magis adhuc productus, ut supra dixi.

4. Cyrena manilensis, Ph.

C. testa suborbiculari, vix trigona, aequilatera,

olivacea vel nigricante, solida, apicibus haud prominulis; dentibus lateralibus elongatis, striatis. Long. 8,5; alt. 1,5; crass. 5 lin.

Patria: Manila; communicavit cl. Largilliert.

Diu hanc speciem pro Tellina fluminea Mülleri, Chemn. 6. f. 323, habere volui, quae etiam a Schroetero, Flussconchylien tab. 4. f. 2, delineata est, sed haec semper inaequilatera esse, atque apices more plerarumque prominentes et involutos habere videtur. Nostra species vero apices minime prominentes, detritos, violaceos habet, formaque minime triangulari et aequilatera facile distinguitur. Color viridis, aut viridis fasciis aliquot nigris, aut niger; pagina interna aut omnino violacea, aut fere alba; sulci transversi paullo magis minusve remoti.

5. Cyrena Largillierti, Ph.

C. testa rotundato-trigona, subaequilatera, compressiuscula, postice angustiore, subangulata; striis transversis confertissimis; epidermide olivacea, apicibus et pagina interna violaceis; dentibus lateralibus elongatis, striatis. Long. 17; alt. 15,5; crass. 8,5 lin.

Patria: China, in flumine Yang-tse-kiang; communicavit cl. Largilliert.

*Apices prominuli, submediani, detriti, violacei; lunula magna, ovato-lanceolata, linea elevata circumscripta, sub apicibus planata, caeterum non distincta. Extremitas postica vix longior, sed angustior, inferne subangulata. Striae transversae elevatae regulares, confertissimae. Epidermis olivacea, nitens; testa sub epidermide alba, opaca, calcarea, ut in plerisque; pagina interna violacea. Dentes cardinis soliti, sinus palliaris subnullus. Magnitudine convenit cum *C. orientali*, Chemn. VI. f. 320 delineata, sed forma longe magis transversa et striis transversis confertissimis abunde differt.*

6. Cyrena nitens, Ph.

C. testa trigona, inaequilatera, tenui, tenuissime et confertissime transversim striata, ex olivaceo flava; extre-

mitate postica subrostrata, fusca; dentibus lateralibus elongatis, striatis. Long. 9; alt. 7,5; crass. 4,5 lin.

Patria: China, in flumine Yang-tse-kiang; communicavit cl. Largilliert.

Testa tenuis, valde inaequilatera, etenim apices valde prominentes, albi, ad $\frac{1}{3}$ longitudinis siti sunt. Extremitas postica producta, angusta; margo ventralis postice fere rectilineus. Lunula circumscripta, lanceolata, planiuscula; nymphae prominentes, solito breviores. Epidermis nitida, ex olivaceo flava, in area postica fusca. Pagina interna alba, postice colore violaceo-fusco suffusa. Cardio et impressiones musculares solitae. — Species forma, colore, sculptura, valde distincta.

7. *Unio Osbeckii*, Ph.

U. testa solida, nigra, oblonga, valde inaequilatera, postice linguaeformi; marginibus dorsali et ventrali rectis, parallelis; regione apicali usque ad $\frac{1}{4}$ testae corrugata; dente card. antico compresso. Long. 33; alt. 15,5; crass. 11 lin.

Patria: China, in flumine Yang-tse-kiang; communicavit cl. Lrgilliert.

Magnitudo, forma, margarita, cardo fere omnino ut in U. pictorum, praesertim in varietate, quae U. rostratus Pfeiffero, a quo unice differt: testa paullo magis tumida, colore nigro; rugis et verrucis quartam fere testae partem occupantibus; dente cardinali antico valvulae dextrae margine subintegerrimo; dente cardinali postico valvulae sinistrae triangulari, elevato.

8. *Bulla Cécillii*, Ph.

B. testa ovato-oblonga, subcylindrica, tenuissima, albida; spira depresso-conica; suturis impressis et plicatis; apertura lineari, basi dilatata. Long. 5,5 lin.; lat. 2,66 lin.; anfract. 4—4 $\frac{1}{2}$.

Patria: China; communicavit cl. Largilliert.

Testa fere exacte cylindrica, tenuis, laevis, nitida; striae incrementi arcuatae, parum conspicuae, sutura

tamen subplicata. Spira valde depressa, obtusa vel acutiuscula. Apertura linearis, inferne dilatata. — Haec species omnino *B. jeverensem*, Schroeter, e mari germanico refert, sed triplo major est; *B. voluta* Q. et G. Voy. de l'Astrol. II. p. 359. t. 26. f. 33—35 longe angustior est, atque suturas profundissimas habet. — Nomen dixi in honorem cl. admiralis Cécille, qui ipse has testas chinenses legit.

9. *Bulimus Cantorii*, Ph.

B. testa rimata, subcylindrica, apice conica, obtusa, cornea; peristomate ovato, incrassato, late reflexo, albo; labio tenuissimo, ad insertionem labri granulo minuto notato. Alt. 9,5; diam. 3,66 lin.; anfr. 8.

Patria: China, insula Auri, ad Nang-king.

Haec species speciminibus maioribus *B. pupae*, L. similis est, sed magis cylindracea, labrum valde incrassatum et late reflexum, labium contra tenuissimum, et granulum ad insertionem labri longe minus. Superficies, ut in *B. pupa*, tenuissime striata, nitida, rufo-cornea; anfractus parum convexi. — Dixi in honorem cl. Cantor, qui de historia naturali insulae Tschusan scripsit.

10. *Pupa Largillierti*, Ph.

P. testa rimata, cylindracea, obtusa, alba, pellucida, splendidissima; apertura ovata, tridentata; dente maximo in labro, columellae opposito; alio laminari in labio ad insertionem labri; tertio minimo in basi aperturae; peristomate albo, reflexo. Alt. 2,75; lat. 0,83 lin.; anfr. 7½—8.

Patria: Insula Bourbon; dono dedit cl. Largilliert.

Species elegantissima. Testa subcylindrica, superne parum attenuata, obtusa, a dorso inspecta *Truncatella* quaedam esse videtur, etiam colore, pelluciditate, et nitore. Anfractus convexiusculi strias incrementi non ostendunt. Apertura valde singularis, quadridentata videtur, rima umbilicaris nempe, profunde intrans, dentem quartum mentitur. Dens labri columellae oppositus maximus, transversus, obliquus est, et extus ei impressio respondet. Etiam

dentis infimo, omnium minimo, extus impressiuncula respondet. Dens supremus ad insertionem labri situs potius lamella, satis profunde intrans est. Peristoma album reflexum satis incrassatum est.

11. Turbo (Litorina) breviculus, Ph.

T. testa brevi, conica, lineis transversis carinisque, tribus sc. in anfractu ultimo, una in superioribus, sculpta, fuscescente ad suturas et in carinis albo luteoque articulata; apertura suborbiculari; columella basi dilatata, planata, subconcava. Alt. 5; diam. 4,5 lin.

Patria: China, ad ostium fluminis Yang-tse-kiang; misit cl. Largilliert.

*Testa brevis, conica, lineis transversis, impressis, irregularibus sculpta. Anfractus superiores planiusculi, medio subangulati, propter carinam superiorem; carina secunda a sutura tegitur et cum tertia unice in anfractu ultimo ventricosus conspicitur. Spira acuta anfractum ultimum dimidium vix superat. Apertura fere exacte orbicularis; columella inferne lata, depressa, subexcavata, fere ut in *T. tuberculato*. Fauces fuscae. — Species characteribus suis valde distincta.*

12. Turbinella? Cécillii, Ph.

T. testa oblongo-fusiforini; anfr. convexis, lineis elevatis transversis, costisque rotundatis circa sex sculptis, albidis, fascia mediana rufa cinctis; ultimo spiram aequante rufo bifasciato; apertura ovata, superne lata; plicis columellae obsoletis; labro intus lineis elevatis transversis circa 11 sculpto. Alt. 15; lat. 8,5 lin.; anfr. circa 8.

Patria: China, ad ostium fluminis Yang-tse-kiang; communicavit cl. Largilliert.

*Propter analogiam cum *T. nassatula*, Carolinae, incarnata etc. ad Turbinellas hanc speciem retuli, sed post reformationem generum alium locum obtinebit; hic modo moneam affinitatem harum specierum cum *Buccino d'Orbigny* esse maximam! — Species nostra*

costis paucis, rotundatis, plerisque antice solutis, ideoque varicibus veris, nec non anfractibus rotundatis insignis est. Propter hanc convexitatem apertura superne magis dilatata est, quam in affinibus. Plica in faucibus ad insertionem labri perparva est, et facile praetervideri potest; plicae ad basin columellae obsoletissimae sunt.

Scribebam Cassellis Cattorum, die 10. Novembris, 1844.

Neue Trochoideen,

beschrieben vom Dr. J. H. Jonas.

Turbo magnificus, Jon.

T. testa ovato-conica, turgida, imperforata, spadicea, albo violaceoque marmorata et maculata; anfractibus senis rotundatis, tenuiter transversim striatis, supremis medio obscure angulatis, ultimo obtuso; spirā exsertiuscula, sutura distincta, lineari; apertura magna, circulari, fauce margaritacea, limbo opaco; columella cylindracea, superne callosa. — Altitudo ab apice ad aperturae basin: 3 poll. Diameter ultimi anfractus maior: 2 poll. 6,5 lin. Diam. ult. anfr. altera: 2 poll. 0,5 lin.

Habitat in litore peruano.

Eine ausgezeichnet schöne Art, welche mit *Turbo Jourdani*, *petholatus*, *spenglerianus*, *variabilis* und *cidaris* eine elegante Gruppe bildet. Den beiden erstgenannten ist sie am ähnlichsten; von *T. Jourdani* und *T. spenglerianus* unterscheidet sie sich vorzüglich durch die nicht canaliculirten Nähte, und vom *T. petholatus* dadurch, dass sie quergestreift ist, keine marginirte Naht hat und dass ihr der grüne Limbus um die Mündung fehlt. Obgleich stark ist sie doch im Verhältniss zur Grösse die dünn-schaligste dieser Gruppe, und fehlt ihr auch die den obengenannten eigenthümliche Politur. Die ganze Schale ist fein spiralgestreift, welches an den ersten Windungen am deutlichsten wahrzunehmen ist; zwei Streifen treten auf jedem der oberen Umgänge stärker hervor: der eine auf der Mitte, welche dadurch stumpf gekielt wird, und

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Zeitschrift für Malakozoologie](#)

Jahr/Year: 1844

Band/Volume: [1_1844](#)

Autor(en)/Author(s): Philippi Rudolf Amandus

Artikel/Article: [Descriptiones testaceorum quorundam novorum, maxime chinensium 161-167](#)